

1217103  
censum, Episcopos comprovinciales nostros, eorumque coadjutores *cum futura*  
*successione*, Capitula, nec non et venerabiles Abbates, et alios quoscumque, qui,  
de jure, vel consuetudine, Concilio Provinciali interesse debent, hortamur, ac, in  
quantum opus est, mandamus atque præcipimus, ut ad prædictam Synodum, et  
assignata die, conveniant, et personaliter compareant, nisi forte justo detenti  
fuerint impedimento, quod probare tenerentur, per procuratores ab ipsis  
legitime electos, a quibus in Synodo vices eorum repræsentarentur.

In hac autem nostra Synodo Provinciali, post emissam, a quibus de jure,  
professionem Fidei Catholicæ, tractabitur, juvante Deo, de divisione hujus  
provinciæ, de modo providendi ad evangelisandas barbaras et infideles nationes  
Silvicolas quæ immensas regiones, sese extendentes a finibus hujus provinciæ  
usque ad septentrionalem oceanum; atque de aliis ad disciplinam ecclesiasticam  
pertinentibus, vel ad mores fidelium corrigendos informandosque conducentibus,  
prout expedire Patribus concilii visum fuerit.

De hac autem convocatione Synodi provincialis in nostra Ecclesia Metro-  
politana Quebecensi celebrandæ omnes Reverendissimi Episcopi Provinciæ  
monebunt suarum respective ecclesiarum cathedralium Capitula, aliosque, qui  
hinc Synodo interesse tenentur.

Denique, Venerabiles Fratres, enixe vos obsecramus ut hanc synodum in  
precibus et sacrificiis vestris Deo Optimo Maximo commendetis Patri omni-  
potenti, *qui operatur in nobis velle et perficere*: Filioque ejus Domino Nostro  
Jesu Christo, *sine quo nihil possumus facere*: et Spiritui Sancto, *qui omnia*  
*scrutatur, etiam profunda Dei, ut nobiscum sit et nobiscum laboret*; ut mentes  
illuminet, corda succendat; utque nostra actio et operatio, bene incepta, bene  
et feliciter ad exitum perducatur.

Datum Quebeci, ex ædibus archiepiscopalibus, sub signo sigilloque nostro,  
ac Secretarii nostri chirographo, hac die secunda mensis Februarii, dominica  
quarta post Epiphaniam, in festo Purificationis Beatissimæ Mariæ Virginis, anno  
millesimo octingentesimo sexagesimo octavo.

*De Mandato Illustrissimi ac Reverendissimi  
D. D. Archiepiscopi Quebecensis,*